

SECULUM XII. cupatur, ut mox antea vidimus. Eiusdem cellæ conditorem S. Udalicum ad Waldkirchenfe hoc monasterium divertentem seculo superiore commemoravimus.

N. LII. Supra iam inter cellas monasterii seu congregationis S. Georgii in Nigra Silva duo monialium cœnobia in Fridenwiler, & Amptenhausen notavimus, utrumque ordinis nostri: quorum primum Wernherus baro de Cimberen S. Georgii abbas circa an. 1123. construxit in prædio, quod per concambium obtinuit a monasterio Augiensi. Cuius foundationis historiam describit Franciscus Petri in Suevia ecclesiastica, ubi abbatem illum Ioannem vocat, uti ex eodem etiam Galliæ christianæ auctores, quum tamen & ipsi in catalogo abbatum S. Georgii circa illa tempora Wernherum istius monasterii abbatem exhibeant baronem de Cimberen, B. Theogeri fuccefforem, de quo nos etiam supra egimus. Qui vero ab anno 1138. ibidem præfuit Ioannes abbas, de Falckenstein appellatur. Ut adeo hic erratum sit in nomine abbatis, & pro Ioanne substituendus Wernerus.

N. L. Cur vero Lazius parthenonis huius foundationem comitibus de Furstenberg tribuat, nos latet.

De migr. gent.  
Lib. VIII. p.  
521.

Seckingen-  
num.

LXII. Pauca sunt, quæ de altero Silvæ nostræ parthenone Seckingenano ad XII. seculum memoranda occurrunt. Unica eius abbatissa initiali tantum littera G. notatur in charta, qua *Henricus villicus Glaronensis dictus Schudi, ipsum villicatum Glaronensem a reverenda Domina G. (Gertrud vel Gutta) abbatissa & capitulo Seconiensis ecclesiæ in feudum recepit pro se & filiis suis. Actum in ipso Seconiensis cœnobio. Testes qui adfuerunt Henricus de Chrenchingen, Rudolfus de Guttenuorch nobiles. Chuno dapifer de Rbinfelden, Henricus de Toggern, Ulricus de Beronne, ingenui, aliique plures. Data V. Kal. Martii anno incarn. Domin. MCXXVIII. regnante Lothario tertio Romanorum rege, indict. VI.* Iam observarunt San-Mauriani in præstantissimo suo opere *L'art de verifier les dates*, Lotharium II. subinde etiam in diplomatibus appellari tertium, forte ob Lotharium filium Hugonis an. 945. in regem Italiæ electum. Chartam vero istam exhibet Ægidius Tschudius in suo chronico Helvetico: ubi etiam narrat, Fridericum I. imp. an. 1173. ultima die Februarii apud Seckingen præsentem ab abbatissa & capitulo obtinuisse, ut filius eius Otto Burgundiæ dux illius monasterii locorumque Glaronæ, Seckingæ, Laufenburgi aliorumque ad id pertinentium advocatus constitueretur, qualem antea ipsi imperatores vel reges egerint. Nauclerum quoque deceptum notat, quod Adalbertum comitem de Habsburg a Friderico I. imp. advocatia Seckingenfi donatum scribat, quum tamen prædictus Otto Friderici I. filius adhuc an. 1196. tamquam monasterii huius advocatus in chartis occurrat.

pag. 443.

T. I. p. 62.

pag. 86.

LXIII.